OBITUM INSPERATUM
VIRI
Admodum Reverendi, Clarissimi ac Doctissimi,
DOMINI
MICHAELIS RINGELTAUBII,
Ecclesiastae ad aedem S. S. Trinitatis
in Civitate Regia Thorun.
bene meriti,
die II. Aug. hor. XII. A. CIↃIↃCCX,
pie ac placide obdormientis,
in exequiis solennibus d. XIV. *August.*
lugebant,
gravemque moerentium dolorem
solatiis lenire volebant,
RECTOR, PROFESS. ac VISITAT.
GYMN. THOR.



THORUNII,
Impressit JOANNES LUD. NICOLAI, NOB. SENATUS ET GYMNAS. TYPOGRAPHUS.

Attoniti cives, coeli contendite tristes
Permulcere iras, infensum & flectere Numen
Assiduis precibus. Vestras convertite mentes
In melius. Nam grassari non Martius ardor
Desinet, & miseras arvis inferre ruinas;
Nec prius ardentes gladii terrere colonum
Dediscent: Nec coeca lues disperdere cives
Cessabit: Quam nos iustas placabimus iras.
Cernitis infesti documentum grande Tonantis,
Quando duces aufert populi, pestemque furentem
Ipse iubet subito fidos exscindere Mystas,
In mentesque aegras sic vult solatia claudi.
Confunduntur oves veluti, pastore remoto,
Et lupus intorquet dentem properatque rapinam;
Tanta gregem sacrum clades, tantaeque ruinae
Expectare pios, dempto doctore, videntur.
Interea, *Ringeltaubi*, coelestia Regna
Intra, quae cunctis avide monstrare solebas.
Nunc solito fidi servi decoratus honore
Vivis, sed manet in terris tua fama perennis.
At tua dum Pater afflictus, coniux sobolesque
Funera deplorant, dicunt: Sic sancta voluntas
Supremi iussit. Dictis at fatur acerbis,

Sola-

Solamenq; Senex Pater, hoc moestus sibi format:
O Tu dulce meae columen requiesque senectae!
Ordine turbato praeis, carissime Fili,
Vivere debebas qui post mea fata superstes,
Ac opus inceptum Jovae producere sanctum,
Tumque meum nomen sic conservare perenne.
Sed prior incedis, tandem quo tendimus omnes.
Ito bone ac felix, sequar annorum satur ipse,
Ærumnasque orbis vani pertaesus edaces.
Vna nos erimus laeti non tempore longo!

Ingenti calamo scrib.

M. P. IAENICHIUS, Gymn. R.

O *dilecte Senex*, a me quæ carmina scribi
  Poscis? tristitia totus & ipse fluo.
Te si solarer, mihi sunt solatia rauca,
  His animum nequeo corque levare tuum.
Quæ me fata premant, [illegible] in urbe
  Vxor cum Nata dum j[illegible] mortis adit.
Quæ Te fata premant, nemo est, qui nesciat illa,
  Namque Tui similis Filius ipse cadit.
Nomine qui Tibi par fuit, officioque secundus,
  Virtutisque viam trivit ubique bonam.
Fulcra senectuti poterat qui subdere canæ,
  Is ruit, & funus triste fit ante Patrem.
Ordo est inversus naturæ, quando Parentem
  Præcedit Natus, subsequiturque Parens.
Quid facies? tacito debelles corde dolorem,
  Atque crucis duræ fer patienter onus.
Post spatium vitæ breve, sublatosque labores,
  In celso cernes pignora chara polo.
Hoc quoque me solor tristi ceu carcere clausum,
  Quod post hanc vitam vita perennis erit.

Sola-

Quod Viduæ moeſtæ, Natæ, Natisque duobus
Solamen ſcribam: me procul ecce fugit.
Hoc peraget Præco divina voce politus,
Crudaque ſanabit vulnera ſancta Trias.

In memoriam p. m. Pl. Rev. Domini
RINGELTAUBII, & in ſolamen mortem
Filii, Mariti, Patris, Fratris, Affinis
acerbe lugentium inter domeſticas
calamitates f.
m. l. d.

M. MARTINUS Böhm.

ORdine turbato nonnunqnam quòd ſapienter
Rebus in humanis ordinis Auctor agat.
Ringeltaubius, en, Junior, qui lumina clauſit,
Jamjam grandævo ſoſpite Patre docet.
Qui Patris ſenio confecti munus obibat
Succeſſor ſacro certus in officio:
Qui Patri, ſi ſic ferret divina voluntas,
Promptus erat ſemper ſolvere juſta ſeni.
Aſt aliter nunc res cecidit, du[illegible] Filius unus,
Pesque manu[illegible] prius moritur;
Sic & onus totum, tulerat qu[illegible] Filius unà,
Incæpit rurſum ſolius eſſe Patris.
Nec tamen idcirco turbatorem ordinis ullus
Inviſo titulo dixerit eſſe Deum:
Quum juvenes præreptos tot tantisque periclis
Evocat ad cælos ocyius atque ſenes.
Diſpliceat nobis, tamen usque placebit hic ordo
Noſtro, cui ſolus jam placet ordo Dei,
Edocto ſuperos inter, quare Deus hacce
Ex vitâ juvenes auferat ante ſenes.
Quod ſupereſt, animâ celeſti ſede receptâ
Nos terrâ Sancti condimus oſſa Viri:
Nec non cum Genitore Viro ſumme Venerando
Afferimus cineri dona ſuprema pio:
Exequias meritò lacrimis communibus imus,
Luctus, quod minor eſt, quem domus intus habet.
Publica mœſtities hæc omni jure meretur,
Vindicet ut partem, qui bonus, inde ſibi.

Quod & lugens fecit
M. MARTINUS BERTLEFFIUS, P. P.